

PRO TESTAMENTIS

DISSE¹⁷RATATI¹⁹³⁵O

QVAM
QVAE EST

SERENISSIMI PRINCIPIS
GRATIA

SINE PRAESIDE

PRO

SVMMIS IN VTRQVE IVRE HONORIBVS

RITE CAPESSENDIS

DIE XXVI. SEPT. A. R. S. C¹⁰I¹⁰C¹⁰C¹⁰X¹⁰C¹⁰III.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENSVRVS EST

HENRICVS CHRISTOPHORVS KIRSCH
IVR. VTR. CAND.

VITEBERGAE,

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.

PROTESTANTIS

OUTRAGEOUS

MONUMENT

OF THE

CHURCH

SERENISSIMA PRINCIPIA
GRATIA

BY THE

REV.

CYRUS IN VARIOUS TONES HONORABLE

THE CHURCHES

IN XXII SIGHTS & CHARACTERS

WITH A

HIGHLY ENTHUSIASM

HENRICUS CHRISTOPHORUS RISCH

VITELLIA

ADAMUS CATHOLICUS ET LUTHERANUS



Si quod est negotium, in quo tractando obseruari mereatur illud, quod AVGUSTVM bellorum ducibus commendare solitum fuisse SVETONIVS ^{a)} scribit:

Σπεύδε βραδεώς —

certe in emendando ciuitatum iure saepe valde peccabitur, nisi, vt GELLIO ^{b)} istius dicti interprete utar, ad eam rem agendam adhibeat et industriae celeritas et diligentiae tarditas. Qui enim ferri potest cunctatio eorum, qui solis antiquis delectantur, ideoque nihil in legibus nouandum esse censent, etiam si veteres aut plane peruersae, aut ab eo, qui

^{a)} in Aug. e. 25. ^{b)} in Noft. Att. X. II.



nunc est, rerum statu moribusque nostris alienae deprehendantur: hanc scilicet rationem praetendentes, quod et omnis mutatio periculosa sit, et nihil impediat, quo minus ciuitas eodem iure, quo adhuc sit vfa, ultra vtatur. Neque vero minus improbandum est, si qui in legibus emendandis tanta festinatione vtantur, vt, siue vitiosum quidpiam animaduerterisse sibi videantur, siue vtilitatis aliqua species animo eorum obuersetur, manum correctricem statim admoueant. Etenim magnum est opus atque arduum, cui iurium emendatores praefecti sunt, quod, nisi summa cum diligentia tractent, facillime accidit, vt vtilia vna cum noxiis tollant, aut talia in rempublicam inducant, quae mox abrogari necesse sit, quo ipso dici non potest, quantum legum auctoritati detrahatur. Quare his dictum esse puto, quod idem SVETONIVS⁵⁾ AVGVSTVM crebro usurpasse scribit:

sat celeriter fieri, quidquid fiat satis bene.

In quo postremo genere ex inconsiderato bene de republica merendi ardore, vt alias saepe, sic nuper ab iis peccatum est, qui in Gallia constituenda occupantur. Ut enim alia eius rei exempla taceam, quae ex recentissima Francogallicorum historia larga manu adferri⁶⁾ possent, uno, quod ad

cau-
c) I. I.

^{d)} in mentem ea modo, quaeſo, renocemus, quae a d. IVto ad d. Xmuſ Augusti, M. DCC. LXXX. IX. decreta ſunt: ipsos etiam cordatores hu-
ius

causam meam proxime pertinet, defungar. Nempe praecipitis festinationis notam decretum istud p[re]se ferre mihi videtur, quo Ephemeridibus publicis testantibus sub ipsis Nonis Martii huius anni testamentorum usum penitus ei ciuitate sustulere.^{*)} Quamquam enim sanctio ista, quod infra apparebit, Physioeratarum scholae, quam plerique ex ipsis legum conditoribus sequuntur, valde consentanea est, eaque praeterea efficere volebant, ne maleuoli forte ultimis voluntatibus aliquid, quod aduersus nouum reipublicae statum esset, machinarentur: dubito tamen, an tanto odio eas persecuturi fuissent, si multiplicem, quem praestant usum, accurate considerassent. Quod ipsum, cum scribendi occasio data fit, in eam me adduxit voluntatem, ut testamentorum aduersus Gallos defensionem susciperem. Nempe planum facere in animo est, testamentorum in ciuitatibus usum et rationi non contrarium esse, et adsensu populorum comprobari, et quod praecipuum sere est, insignes utilitates producere, adeoque multum abesse, ut exsulare illa mereantur.[†]

A 3

Vti

ius nationis viros confidentes habemus: vid. e.g. quae MOVNIER quesitus est, apud GIRTANNERVM, in den historischen Nachrichten und polit. Be- tracht. üb. d. franz. Revol. Th. II. p. 329.

*) Istud vero his verbis conceptum est: *La convention nationale décrète que la faculté de disposer de ses biens, soit à cause de mort, soit entre vivi, soit par donation contractuelle en ligne directe, est abolie, et en conséquence tous les descendants auront une portion égale sur les biens des ascendants.* v. le Moniteur universel d. an. 1793. N. 68.



Vt vero CICERO in legibus edendis,
 a Joue Musarum primordia,
 ordiebatur, sic in hacce scriptione tum demum recte me ver-
 fari posse intelligo, si rationi principatum tribuam. Cuius de
 testamentis praecepta cum indaganda mihi propono, non potest
 non in mentem venire eorum, quae a longo inde tempore ma-
 gna cum sententiarum discordia de vi atque effectu ultimarum
 voluntatum in statu naturae inter scriptores iuris naturalis agitata
 sunt.^{b)} Et poterat quidem istam litem decisam esse existimari,
 postquam principes nostrae aetatis philosophi legem, quae ho-
 minibus extra societatem ciuilem viuentibus de testamentis ser-
 uandis ferebatur, calculo suo antiquauerant.^{c)} Ecce vero! re-
 pente nouus ei suasor exortus est,^{d)} cui, cum haud paucis de-

philoso-

f) Non equidem nescius sum, plura de eodem argumento scripta exstare,
 quae a LIPENIO diligenter commemorantur. v. Bibl. Iur. Vol. I. p. 397.
 Ut vero taceam, repetitam eius tractationem temporibus aptam esse,
 nouas quasdam, ne cum satis explicatas causas reperire me posse spero,
 quibus testamenta lectoribus commendem,

i) de legg. II. 3.

h) Catalogum eorum texuere HÖRNER im N. R. des einzelnen Menschens
 §. 107. et VLICH in initii philosophiae insti. §. 304. cfr. etiam MEI-
 STERI Bibliotheca iur. natur. f. v. testamentum.

j) vidd. recentissimi de iure naturali scriptores, HVEELAND in den Lehrfälzten
 des N. R. §. 283. et SCHMALZ im reinen N. R. §. 75. Anm.

k) HEYDENREICH in d. Originalideen über die kritische Philosophie. Leipzig
 1793. S. N. 4. Skizze einer Untersuchung über die Gültigkeit der Testa-
 mente nach dem Naturrechte,

philosophia egregie scriptis magnam sibi famam hoc tempore
 parauit, aequas aures praebere conuenit. Quo ipso moueor,
 vt causam, quam saluis rebus meis omittere possem, tribus
 saltem verbis adtingam. Cum autem quaestio in eo sit posi-
 ta, vtrum extra legum ciuilium sanctionem ab ipsa ratione
 hunc testamentis effectum tribuere iubeamur, vt heres insti-
 tutus alium quemuis ab hereditate acquirenda iure optimo
 possit excludere: quid iure dominii facere liceat, aut an de-
 claratio voluntatis ab vna modo parte atque ita, vt poeniten-
 tiae locus sit, facta, vim vllam habere possit, disquirere pa-
 rum attinet. Neminem enim rectam de proprietatis indole
 sententiam concepisse puto, quin testamenti factionem, si ita
 rem species, rationi consentaneam esse lubenter concedat.
 De isto dubitatur, num sola testatoris mens tantum valere
 possit, vt et reliqui omnes abstinendi ab hereditate, quae,
 cuius illo mortuo dici possit, non intelligo, necessitate obstrin-
 gantur, et vero heres ius cogendi consequatur, quo aliorum
 istam forte occupandi libidinem recte repellat. Iam vero fie-
 ri non posse, vt sola hominis voluntas, quamvis legitimo
 modo declarata sit, obligationem iusue in aliis producat, ipsae
 officii iurisque notiones demonstrant. Restat igitur, summis
 de iustitia praeceptis, vnde omnis iurium cogendi atque offi-
 ciorum perfectorum, quae vulgo dicuntur, ratio ducenda est,
 contrarium esse, si quis sententiam in testamento declaratam

conte-

❧ ♫ ❧

confemnat. Quod nullo modo probari potest: idque SCHMALZIVM¹⁾, cuius de iure naturali praeceptis in primis delectari soleo, tam accurate demonstrasse puto, vt γλαυκὸς Αθηνας φεγγίνη mihi videret, si rationibus, quibus usus est, de meo quidam adiicereim.^{m)}

Sed

D) dicit enim l. l. wenn die Dispositionen des Eigentümers überschritten werden, und ein anderer die Sache sich zueignet, so wird weder der Verstorbene, noch der von ihm bestimmte Erbe, dadurch beleidigt: der Verstorbene nicht, weil er kein Recht in dieser Welt der Erscheinung mehr besitzt, weil Bekleidigung eines Verstorbenen, d. i. Behandlung seiner als Mittel, nicht mehr denkbar ist: der Erbe nicht, weil durch die Hinwegnehmung der Sache durch einen andern, ehe er sie nünlich occupirt hat, keines seiner Urrechte verletzt wird.

^{m)} Quae adhuc differui, sufficere possit existimo, ut intelligatur, quare nuperus testamentorum secundum praecepta rationis defensor causam perdiderit. Vti enim in uniuersitate nimis sedulus fuit in addendum refutandis rationibus admodum infirmis, quibus dubito, an in tanta iurisprudentiae naturalis luce ad oppugnandam testamento rum vim hodie quisquam usurps fit (v. p. 172—73. lit. a-e. et p. 184. 85. n. 7. 8.): sic longo sermone de iure atque fonte dominii et de effectibus voluntatis, eo, qui in testamentis obseruatur, modo declarata in hac quidem causa plane, vt videtur, potuisse superfedere. — Deinde perspicere non possum, quam petitionem principii eos committere dicat, qui testamentorum in statu naturae effectum ideo negant: quod hereditas a defuncto relieta ad res nullius referri debeat. Id enim ex ipsa testamenti notione propterea demonstratur, vt nemini, si ista occupetur, iniuriam fieri appareat. Quod tamen ipsum rationibus magis luculentis doceri posse lubenter concedo. — Quidquid denique ad refellendam argumentationem a SCHMALZIO proposi-

tam

Sed, uti iam dixi, quaecunque sententia accipiatur, mea nil interest. Siue enim quis testamenta in ipso naturali hominum statu inuiolata esse defendat, sane verendum non erit, ne mihi eorundem auctoritatem in ciuitatibus munire cupienti forte contrarius sit: siue ultimas voluntates, si ex solidius rationis praeceptis aestimentur, irritas esse putet, legibus tamen ciuilibus easdem sustineri posse, concedere eum oportebit. Quid enim? nonne ampla est in nouis iuribus constitutis imperantium potestas? quippe legum naturalium non ea modo vis est, vt vetent aut iubeant, quas contrario iure abrogari nefas esset: magna earum virtus in permittendo est posita, quae ad ea omnia porrigitur, quae rationi non aduersantur. Atque ita fit, vt plura in ciuitatibus utilitatis causa

solidius rationis praeceptis aestimentur, irritas esse putet, legibus tamen ciuilibus easdem sustineri posse, concedere eum oportebit.

tam adulit, vereor, vt vim ullam habere possit. Cum enim omne officium ad actiones referatur, adeoque nemini, nisi in quo agendo aliquid efficeri licet, obligari possimus, frustra defendit, mortuis officia deberi: vt taceam, iura ab hisdem magis adhuc esse aliena. Quod autem eum, qui voluntati testatoris non obsequutar, ideo iniustum esse dicit, quod rem alii debitam, nec, antequam ab isto reputata fuit, vacuam arripiat, nonne probandi causa id ipsum, quod in lite versatur, adducit. — Caeterum in eo valde lepidus est (licet enim, eum eodem elogio mactare, quo HOEFFNERVM, virum de jure nostro egregie meritum, ornauit) quod eum, qui testamentis in statu naturae vim nullam tribuat, aequali modo iura donationibus aut emptionibus, quaesita vita donatoris vendorisue finire debere contendit. Nempe inter dominum rei eumque, cui testamento adsignata est, magnum intercedit discriben!

I. adolda I. d. T. e. B. Bonnelli. mutato. II. mutato.



recte statui possint, quae a statu hominum naturali, quem nobis fingimus, prorsus sunt aliena. Sic tutelae officium natura nullum est: quod veterum legumlatorum sapientia recte in ciuilem statum introduxit. Sic natura homines aequales progenerit: ordinum vero discrimina prudenti consilio a ciuitatibus reperta sunt. Secundum eandem rationem de testamentis iudicemus necesse est. Cum enim natura amplissimam ciuius de rebus suis disponendi facultatem concedat, nec viles, si istius vocem audiamus, ius certum in alterius bona fibi adferere possit, non video, quid impedit, quo minus leges ciuiles vltimis ciuium de bonis suis transferendis voluntatibus, quippe quibus nullius iura laeduntur, effectum plenissimum tribuere possint. Perturbatricem autem harum rerum omnium *Physiocratarum* scholam, quae nihil plane arbitrio concedit ac solius rationis iussis res publicas regi debere contendit, non magnopere extimesco. Nam et argumentis prostrata est,ⁿ⁾ et euentus eorum, quae magnam partem ex eius sententia in Gallia nuper acta sunt, ita eam frigit, vt nihil magnopere in posterum ausura esse videatur. Atque sic quidem, cum testamentorum in rempublicam introductionem rationi non aduersari ostenderim, totius defensionis meae fundamenta iecisse existimo.

Accurso ab aliis invenimus, ut in aliis, quae in Gallia sunt. Ac-

ⁿ⁾ accurate hanc rationem excusit REHBERG in den Untersuchungen über die franz. Revolution. Hannov. 1793. Th. I. Abschn. I.

Accedit, quam alteram habeo commendationis meae causam, *populorum consensus*. Quanquam autem non defuere, qui CICERONIS *) auctoritate moti *omni in re consensionem omnium gentium legem naturae putandam esse statuerent*, eique argumento tantum nonnumquam tribuerent, ut historicorum testimoniis in ipso iure hominum naturali demonstrando vtererentur^p): nolo tamen, me huius sententiae fautorem existimari. Etenim ex puro rationis fonte praecetta legum naturalium haurienda sunt, cui in populorum legibus atque moribus multa aliunde admixta interfluent. Quodsi vero tale institutum reperiam, quod iam antiquissima aetate sponte ac quasi ipsa natura docente ab hominibus acceptum, postea autem multorum seculorum vsu et legumlatorum sapientissimorum auctoritate comprobatum sit: haud sane temere facere mihi videor, si ad communem hominum utilitatem efficiendam saluberrimum istud esse coniiciam. At quanti, quæsio, ob hanc ipsam rationem testamenta aestimare oportet! Quoad enim longissime respicere potest mens nostra præteriti temporis memoriam moris fuisse inter homines intelligimus, ut de bonis suis, quid post obitum fieri vel

o) *Tuscan. Quæst.* I. 13.

p) vid. e. gr. SAM. A COCCII in *Dissert. proœdm. ad Gratiann.* XII. 1. r. c. 4.
et HUFELAND im *Versuch über den Grundsatz des N.* R. (L. 1785.)
S. 95.



lent, statuerent.²⁾ Sic in exigua rerum primo aeuo gestarum luce pauca quidem, at illustria exstant exempla eorum qui ante

fortunam Priami — et nobile bellum liberum in rebus suis transferendis arbitrium secuti sunt.³⁾ Quodsi vero quis ex certioribus in sequentis aetatis testimoniis singulos conquerirere vellet, qui apud varias gentes eadem in ultimis voluntatibus declarandis libertate vni esse dicuntur,⁴⁾ longum sane eorum ordinem posset producere. Neque tamen hos magnopere euro: vereor enim, ne, qui testamentis aduersari cupiunt, obscuero magis ac parum explicato aequitatis sensu, qui saepissime fallat, quam intelligentia veri certoque consilio ductos eos esse existiment. Quid vero? si summos omnium sere temporum legumlatores excitauro, qui magno consensu testamentorum usum aut in ciuitates suas introduxere, aut, cum consuetudine inualuisset, intactum reliquere: num quis tanta arrogantia praeditus reperietur, qui aduersus tam aciem consistere audeat? praesertim, cum pra-

²⁾ Nihil admodum ad causam meam interesse puto, utrum pactis an testamentis istud perfecerint: ipsis enim pactis hereditariis, quae sola antiquarum gentium plurimis placuisse volunt, testamenta utilitate praestare, infra adparebit.

³⁾ vid. GROTIUS de I. B. ac P. II. 6. §. 14.

⁴⁾ Multos nominavit idem GROTIUS I. I. I. 2. §. 12, cfr. HEINICCI Elementa iur. germanici. I. 2. tit. 6. 7.

ter eos, qui in Gallia nuper legum conditores subito exorti sunt, neminem fere ex aduerso collocare possit. Nam MOSEN quidem, qui inter reliquos, qui antiquitati iura dedere, micat, *in istoq; in ibo = = velut inter ignes*, *anno obitv. Cypriano 10*
coincidit alibi: D mmp luna militares, qm in istis tribus in
 propter eam, quam ciuitati dederat formam, agros hereditarios omni commercio exemisse constat: praeterea vero eum Israelitas ab ultimis voluntatibus condendis, quibus ante sua tempora usi sunt, non prohibuisse, MICHAELIS, suorum in legibus eius interpretandis artifex, ita demonstrauit,¹⁾ ut tantulum de isto addere supervacuum esset. Similem fere testamentorum causam ex LYCVRG1 legibus apud Lacedaemonios fuisse tuto statuere posse mihi videor; neque enim PLVTARCHVS, ad quem referre se solent, qui istius ἐπτετραδις omnem ultimarum voluntatum vim sublatam esse volunt, aliud quid docet, nisi quod domum eamque, quam quisque accepisset, terrae Laconicae sottern, ante EPITADEVM Ephorum in alios transferre non lieuerit.²⁾ Quanta in legibus excogitandis

B 3

fagaci-

1) v. *dessen mosaisches Recht*, §. 80.

2) *In vita Aigidis*, p. 797. edit. Kylandri. Verba haec sunt: ἀντη μηνού οὐλαττας τον αριθμον ἐν ταις διαδοχαις καὶ παραγον παιδι τον ιληρον ἀποδιπτον, ἀποστεψει ταξις ἀντη καὶ ιστον διακενουσα την πολιν ἐν των ἀπλων ἀνθραγεν φυσιτηματων. Εφορευτας δε της ἀνηρ δικαρος, αυθιδης δε καὶ χιλεπος του τροπου, ἐπι τηδευ θρηνα, καρος τον θεον θετω γενομενης διαφορας, φυγειν ἐγγιαθεν,

ἴξανας

sagacitatem SOLONEM fuisse existinamus, qui multis peregrinationibus operam dederat, ut populorum instituta atque mores cognosceret,^{*)} et Athenas reuersus talia iura statuit, quae et ciuitati, vnde ortus erat, maximo usui, et omni posteritati admirationi fuere. Hic igitur, quem Graecia, ingeniorum prouentu feracissima, in septem sapientum numero habuit, cum vitiose apud suos inductum esse animaduerteret, ne quis de hereditate sua statuere posset, hanc, referente ISAEO,^{*)} legem scripsit: ἐξεναγμα ταῦτα εαυτοῦ διαθεσθαι, εάν μη παστοι τοις οἰκονομοῖς εἴησιν αὐτοῖς παρεπεισθαι τοις δεσμοῖς τοῦ οἰκονομοῦ τοῦ εαυτοῦ καὶ τοῦ πληροῦ, φέρε τις ἐπελεῖ, καὶ σωτερία δουνάει καταλαμπεῖ διατελεμένον. Non quidem sum nescius, apud optimos graecos scriptores vistitum esse, ut cunctas alicuius facultates oīkov appellent. At vero huius ἔργου sensum explicare me posse nego, si priora eius verba ita, uti apud XYLANDRVM scripta reperiuntur, legamus. Quare cum codice Vulcobiano alisque anonymis (vidd. variæ lectiones in Plutarchi Παράδειγμα in App. edit. laudatae, p. 95. sqq.) ea sic exprimenda esse censeo: ὃν μην αὐτοῖς καὶ τον οἰκονομούς ἦν ὁ Δημόσιος φυλαττεῖν τον οἰκονομούν κατ. Saepè enim nomen apud graecos in casu relatiui ponitur, etiam si sequens verbum aliud casum postuleat.

cfr. v. c. i Cor. X, 16. τον οἰκονομούν, ὁν οἰκονομεῖς οὐχι ποιονομεῖς τον σωματοῦ τοῦ χριστοῦ εστιν. Iam vero oīkous, si vocabulum in plurali occurrat, omne alicuius hominis patrimonium interpretari, genio linguae contrarium esse puto.

*) Liceat enim mihi eorum sententiae accedere, qui secundum PLUTARCHEM (in Solone p. 79.) πολυτάγματα ἔνεκεν μαθέσον καὶ ιστορίας, ή κακούς ηδὲ πατρόμα peregrinatum eum esse existimat: ποιοιδημερούς γαρ ήν οἰκονομεύμενος ἐρεστης. Σοφοὶ δέ εἰσιν καὶ ποιονομεῖς κατοικοῦσιν.

*) εν τῷ περὶ τοῦ φιλοκτήτεως πληρῶ. v. PETITVS in legg. art. I. VI. tit. 6.
§. 3.

des ὁριῶν γνωστοῖς διέγενε. ^{a)}) Porro ceteras Graeciae ciuitates, quas in primis prudentia floruisse constat, ISOCRATES in nulla re magis, quam in testamentorum iure, consensisse testatur. ^{b)}) Nec in minori illa honore apud Romanos fuere. Cum enim ab antiquissimo inde tempore ipsis in more positum esset, ut ultimae ciuium voluntates custodirentur, ^{c)} tantum absuit, ut decemuiri, qui duodecim tabulas scriperunt, ei consuetudini derogarent, ut expressa lege suprema patrumfamilias de rebus suis iudicia rata esse statuerent. ^{d)} Num vero horum testimonium parui pendere licebit, quos CICERO, at quam subtilis in hoc genere iudex! iis ipsis, qui in Graecia legibus ferendis clarissimi facti sunt, praestitisse censet; quorum iussa ob utilitatis libertatem omnibus omnium philosophorum bibliothecis fideuter anteponit. ^{e)} Quamquam autem posterior

Roma-

- ^{a)} Qua propter cum SOLONEM multa ab Aegyptiis mutuatum esse constet (v. HERODOT. in Euterpe in fine.) Mosis autem eadem fuerit in eorum legibus imitandis sapientia (v. MICHAELIS I. l. §. 4.); haud icio, an iniuria fiat, si illi etiam genti, legum optimarum fama celebratissimae, testamentorum vnum vindicemus.

^{b)} in Aeginetico, in fine.

^{c)} vid. antiquissimam testamentorum apud Romanos formam accurate describentem TREKELL de origine atque progressu testamentificationis, praesertim apud Romanos. (Lipp. 1739. 4.) cap. 2.

^{d)} hanc Vlpianus Fragm. XI. 14. his verbis conceptam esse narrat: *vni legi gassit super pecunia tutelaue sua rei, ita ius esto; ad quem locum* cfr. SCHULTING in iurisprud. anteiusq. h. 1.

^{e)} de Orat. l. 44.



Romanorum aetas in scientia legali excollenda operam accu-
ratiissimam posuit, multaque legum Decemuiralium capita
contrario iure aboleuit, nunquam tamen aliquem exitisse com-
perimus, qui de testamentorum sanctitate detrahere ausus sit.
Neque vero sola antiquitas defunctorum voluntates exitum
habere oportere censuit: quis enim cultissimis recentioris
aevi nationibus idem placuisse nescit? quas singulas recensere
putidum foret: praesertim cum forte suspicari quis posset, eas
fato aliquo et coeco legum romanarum amore potius, quam
idoneas ob causas, testamentis fauere. At ista suspicio in
viris summis haerere non potest, qui in Borussia nuper exem-
plar proposuere, ad quod reliquae gentes legum codices ef-
singant. Quibus cum testamentorum auctoritatem conseruare
visum sit,^{e)} iustissimam sane causam habemus, quare ciui-
tatibus utilissima illa esse opinemur.

Age igitur! utilitatem, quam adferunt, ipsam accura-
tius consideremus. Ac primum quidem quis ignorat, quam
gravis inter aequitatem atque leges pugna intercedat, quam
nullius vnuquam legislatoris tanta sapientia erit, vt plane di-
rimere possit. *Iura enim, VLPIANO recte monente,*^{f)} non
in

e) vid. *Allgemeines Gesetzbuch für d. preuss. Staaten.* Th. I. tit. 12. Abschn. 1.
§. 9, soweit jemand unter Lebendigen über sein Vermögen zu verfü-
gen berechtigter ist, soweit kann er in der Regel auch auf den Todes-
fall Verfügungen treffen.

f) l. 8. n. de LL. et SCris.

in singulas personas; sed generaliter constituantur; aequitas contra sigillatim perpendens momenta causarum omnia, quid statuendum sit, disquirit.^{a)} Vnde fieri non potest, quin plurimis saepe in rebus ius et aequi bonique rationem sequuntam esse reperiamus, locumque sibi vindicet, quod proverbio dicitur: summum ius summam nonnunquam iniuriam inferre. Cum autem, si iusti esse velimus, ex IULIANI precepto^{b)} in his, quae contra rationem iuris constituta sunt, regulam iuris sequi non possumus: eas ciuitates iure laudandas esse existimo, in quibus ita legibus auctoritas constat, ut propter urgente aequitatis rationem aliquid possit laxari. In quo saepe admirari soleo Romanorum in iure ciuili constituendo sapientiam. Quippe non antiquissimo modo tempore, cum rude adhuc atque inchoatum iuris aedificium esset, sed postea etiam, cum iura accuratissime atque ita descripta haberent, ut nulla fere causa incidere posset, cuius decisionem non praebarent, neutquam ciues ita legibus constrictos tenebant, ut non plurima tum priuatorum tum iudicum in primis arbitrio permetterent. Sic, ut hoc vno utar, rerum contractarum fidem atque iura diligentissime sanxerant; at nihil impediebat, quo minus contrahentes plurima ex voluntate suorum iuris contractare possent. ^{c)} hanc iuris atque aequitatis differentiam egregie exposuit ARISTOTELES, Ethic. ad Nicom. V. 10. ^{d)} v. l. 15. n. de LL. et S. 15.



luntate sua immutare possent. Quam praeclaro autem iure ciuitas caritura fuisset, nisi praetoribus, vt edictis suis leges ad aequitatem inflechterent, licuisset: nisi iudices in fori disputationibus ex formula, *quantum aequius, melius*, priuatum lites diiudicassent: nisi, vt paucis multa complectar, *ius commenticum*, a ICtis[repertum, ⁴⁾] scripti iuris rigorem mitigasset. Ita vero siebat, vt, quam felicitatem ipsis inuidere posses, in fontibus iuris ciuilis recensendis aequitatem etiam possent commemorare. ⁵⁾ Multum itaque in vtilitate testamenterorum demonstranda me effecisse existimabo, si *aequitati ista consulere* adparebit. Numquid vero aequius esse potest, quam laboris sui atque operae fructum quemuis ad eum potissimum transferre, quem optime de se meritum esse putet? quem in primis diligit atque amet? Nonne grauius iniustitia committitur, si, ad quos alicuius morte maximus moeror peruenit, ii successionis solatio priuentur? cum haereditas propinquis quidem defuncti, at alienis cedat, quo-

⁴⁾ De iure commenticio Romanorum luculenter tractauit PÜTTMANN in *Probabil. iur. ciu. l. 2. c. 1.*

⁵⁾ Cic. Topic. 5. *ius ciuile est, quod in legibus, senatus consulis, rebus indicatis, iuris peritorum auctoritate, edictis magistratum, more, aequitate constat.* cfr. l. 90. π. de R. I. I. 8. C. de Iudiciis. Multa, quae hoc referri possint, habet Io. LUDOV. CONRADI in *Orat. de iuris et aequitatis inter se consenſu*, vid. Ej. *Opuscula e iure ciuili. Vol. I. Brem. 1777.*

rum nulla erga istum officia fuere,¹⁾ qui dudum ei inhian-
 tes gaudia prudentem vultum vix fictis lacrymis celare que-
 unt. Quid denique? si cognatus forte defit, si bona post
 mortem relictā iacere, et a fisco ciuitatis occupari necesse sit,
 nonne triste et iniquum est, neminem fortunarum suarum
 heredem facere, neminem designare posse, qui funus comi-
 tetur, qui sepulchrum exstruat, qui coepita perficiat, qui vo-
 luntati obsequatur? eos vero inopes atque egenos relinquere
 oportere, quos maxime beatos esse cupias? At vero aequa
 circa successiones iura legibus statui posse frustra speratur.
 Quamuis enim multum valeat communio sanguinis, quam-
 vis magna sit vis eius necessitudinis, qua coniuges inuicem
 copulantur, nemoque facile tam inhumanus reperiatur, quin
 publica patriae commoda augeri velit: infiniti tamen sunt
 amoris atque officiorum gradus, quos si quis certa atque per-
 petua regula vellet complecti,²⁾ nae! maximas iste ageret
 ineptias. Cum igitur aequitas postulet, ut in hereditatibus
 transferendis meritorum atque beniuolentiae ratio habeatur:
 nullo modo illi satisfieri poterit, nisi ultimae defunctorum
 voluntates obseruentur. Ita enim debitam cuiuis gratiam re-
 ferre licebit: ita, quantum quisque ex iis, qui genere nobis
 iuncti erunt, officiis atque pietate promeruit, tantum de bo-

C 2

nis

1) Ipsum Iustinianum huius iniquitatis testem aduoco, v. Nov. CXV. c. 3.
 §. 12.

2) Hinc iure rideri potest WILKENS in Diss. iur. nat. de successione ab in-
 testato, qui multam operae impendit, ut quasi scalas amoris consti-
 ret, secundum quas ordo succedendi ab intestato definiretur,

nis nostris accipiet: ita caris coniugibus, quibus leges saepe parum prospiciunt,²⁾ amicis, iisque omnibus, quibus nostra curae suere, fidei atque diligentiae praemia poterimus exsoluere: ita nulla iniustitia committetur, si quando in publicum hereditas eius inferatur, qui ita solitarius vixerit, ut neminem nec testamento nec lege heredem relinqueret.

Sed hanc utilitatis, quam testamenta adferunt, partem ulterius persequi non necessarium est: in aliam transeamus, quam non minus splendere intelligemus. Etenim in aprico est positum, ultimis hominum voluntatibus plurima constitui posse, quae et singulis et universalae ciuitati conducant. Nolo iam tutelas commemorare, quas testamentis deferre solent: non sine causa enim obiceretur, has quidem subsistere posse, etiam si de bonis nostris statuere vetaremur. Nolo exhereditationum bona mente factarum mentionem iniciere, quibus apud Romanos liberis testatoris optime saepe consulebatur: quippe dura herendum necessariorum conditio recentioris aevi legibus fere ineognita est. Nolo etiam istud nimis urgere, quod sacri Christianorum coetus maximam bonorum, quae tenent, partem testamentis acceptam ferant: nam et fraudibus illa saepe quaefita esse constat, et minime aetas nostra vituperanda esse videtur, quod nimiam in hoc genere liberalitatem obsolescere sinat. At vero splendorem familiarum conseruari, bona singulorum et aduersus ipsorum possel-

²⁾ Dura ex hac parte iura Romanorum fuisse constat, et haud scio, animo tiora, quibus utimur, nonnunquam aequitatem laedant.

possessorum luxuriem et aduersus aliorum iniurias secura reddi, lites inter successores euitari, talia in ciuitatibus institui, quibus pauperes sustententur, literarum artiumque studium excitetur, atque alatur: nonne haec omnia et publice et privatim utilissima sunt? Quae testamentis effici posse, nemo dubitabit. In mente reuocemus, quaequo, fideicommissorum familiae relictorum perpetuam fere utilitatem, legatorum commoditates, magnam, quam testator habet, in successorum salutem multa prudenter constituendi opportunatatem, caeteraque, quae ultimarum voluntatum ope perficere licet, quae singula recensere infinitum foret. Quoties, ut huic vni insistam, acerrima ingenia sese excolendi facultate destituentur, nisi supremis maiorum nostrorum iudiciis adolescentibus litterarum amatoribus large esset prospectum: quo ipso dici non potest, quantum studiis humanitatis profuerint. Unde merito dolemus, tam laudabilem posteris consulendi momen-
tum huius aetatis luxurie tantum non plane obliterari.

Accedit, quo magis testamentorum praestantia elucet, quod augendae inter ciues *adquirendi industriae* illorum faciendorum libertas inseruiat. Nolite tamen, lectores, existimare, me ea quaestus praecepta commendare velle, quae apud HORATIVM^o) VLYSSI de testamentis captandis TIRESTAS tradit, quibus pessimam iste heredipetarum nationem depingit, quae et apud Romanos olim admodum frequens fuit,^{p)} et nullo sane tempore extirpabitur. Istorum enim artes, ut par est, maxime detestandas esse censeo. Datur vero honestum et intra legum fines consistens sese locupletandi studium, quod, ut quisque sapientissimus est rerum publicarum cu-

C 3

flos,

o) L. II. sat. 5.

p) Si quis eam cognoscere cupiat, vid. LEYSERI Medic. ad n. Spec. 375. 76.



stos, ita diligentissime in ciuibus excitandum augendumque esse putabit. Huic igitur ultimarum voluntatum licentiam statuo prodeſſe. Qua enim cunque re efficitur, vt pecuniarum fructus ad plures peruenire possit, aut liberior ciuibus praefetur facultatum suarum vſus, ea industria eorum ali necesse eſt. Quod vti ſua quemuis ratio docere potest, qui in rerum cauſas hominumque naturam curioſe inquirit; ſic experientiae atque historiae testimonio egregie conſirma-
tur. Etenim ſi qua gens et antiquiori aevo et recentiori ae-
tate opulentia et modeſta ciuium libertate inprimis florebat,
eam maxime industria fuisse comperimus: cum aliarum con-
tra paupertas atque feruitus ipsum adeo fortunas suas ampli-
ſicandi ſtudium in iis opprimeret. Iam vero diuitiae ciuita-
tum in paucis quibusdam domibus coaceruarentur, iisque
reliqua multitudine egente, magno publico incommodo, qua-
fi propriae addicerentur, ſi ex foliis legibus, quas in heredi-
tatibus tribuendis certam ſtabilemque rationem ſequi oportet,
ſuccesſio deferretur: vt earum commoda ad plures penetrare
poſſint, testamentorum facultate confeſſa efficitur. Quod ſi
quis exile forte ac nullius momenti putet, cum raro fiat, vt
ſuprema hominum iudicia familiam egrediantur, is cogitet,
quaefo, in iis, quae ſingula leuia eſſe videri poſſunt, ſi uni-
uersa conſiderentur, maximam ſaepiſſime ad felicitatem pu-
blicam vim conſpicuat fieri. Praeterea testamentorum iure
in ciuitatem introducto priuatorum de bonis ſuis ſtatuendi
libertatem magnam accessionem capere, optime PLVTARCHVM
perspexiſſe puto, qui SOLONIS de testamentis legem laudans
hanc ἐπινεγόν addit: τα χειρωτα πτηματα των ἔχοντων ἐποιεσν.?)
In quo, quanta ad ciuium industria incitandam efficacia in-
ſit,

4) PLVTARCHVS in Solone. p. 90. ex Edit. Xylandri.

fit, facile intelligitur. Etenim is demum ad labores dies non
esse sibi iisque, quos carissimos habet, adquirere, liberrimaque vo-
luntate parta distribuere posse nouit. At segni otio torpebi-
mus, et tantum, quantum nobis solis sufficiat, adquisiuisse
satis habebimus, si negotiorum nostrorum fructus, quamvis
inuitis ac reluctantibus nobis, non nisi ad eos, alienos forte
nobis homines, peruenturos esse certum sit, quos leges in-
exorabiles tanquam fato aliquo ad successionem nostram
trahant.

ecclio At vero, dicet quispiam, has easdem utilitates *pa-*
dis circa hereditates ineundis consequi licet. Quid igitur
impedit, quominus maiorum nostrorum sapientiam imi-
temur, quibus Tacitus nulla testamenta fuisse memorat,
quanquam pactis eos successionum iura moderasse constat.^{r)} Sed huic facile responderetur: valde enim ad cuiusque salutem
refert, ut, quem heredem relicturus sit, ignoretur. Nam
succedendi fiducia multos saepe impulit, ut aut eum, cuius
vita hereditati acquirendae obstabat, de medio tollere statuerent,
aut saltem eo obsequio iisque officiis eum defraudarent,
quibus, quorum spes adhuc vacillat, benefactorem demulcent.
Quod probe intelligentes Romani pactae hereditatis
fidem nulla lege sanxere: testamentis potius ciues vti vole-
bant, circa quae ipsa multa excogitabant, quibus heredis no-
men tegeretur. Quare recte facere mihi videor, si propter
easdem, quae istos impulere, causas occultam atque muta-
bilem testamentorum rationem successionis pacto aperte quae-
sitiae firmitati praeponam. Deinde vero perspicere non pos-
sum

r) v. *Ej. Germania c. 28.*

s) cfr. HEINECCIVS in *Elem. jur. germ.* l. l.



sum, qualis ruina testamentorum iure in ciuitate constituto ei immineat, quam, legitimis, aut pactitiis etiam successoribus solis receptis, possit euitare. Quod enim lites isto modo augeri volunt, id quidem a vero non plane alienum est, cum multas testamentarias causas in iudiciis versari notissimum sit: neque vero minores controuersiae de iure succedendi legitimorum heredum aut de pactorum hereditariorum interpretatione oriri possunt, et magna earum litium, quas testamenta producunt, multitudo praecaueri forte posset, si coram iudice modo testari liceret, eaeque cautions accurate obseruarentur, quae in novo legum Borussiae codice huic negotio praescriptae sunt.²⁾ Atque sic etiam altera corruit ratio, qua testamentorum usum noxiuum esse demonstrari posse opinantur. Saepe enim malis artibus ea originem debere, a moribundis extorqueri, quorum voluntas quo-uis impulsu moueatur, atque sic euenire volunt, ut bene meritis hereditas iure ipsis debita eripiatur, ista vero tanquam astutiae praemium hominibus nequissimis cedat.³⁾ Sed hoc, quod urgunt, malum non ita frequens est, ut ideo testamenta, quae tot tantarumque utilitatum causas continent, eliminari mereantur, et cum ipsarum prouidentiam legum, tum circumspectam iudicis prudentiam valde eidem prospicere posse non licet dubitare.

2) vid. das allgemeine Gesetzbuch für die Preuß. Staaten, I. l. in primis §. 141. seqq. Anweisung für den Richter wegen Vermeidung künftiger Processe.

3) Ob hanc quidem causam aegrotantibus testamenti factione interdicere suader. Ivr. Moesser in den parochischen Phantasien, Th. IV. St. 29.

ULB Halle
004 334 728

3



B.I.G.



PRO TESTAMENTIS
1931 17

D I S S E R T A T I O 1793

QVAM
QVAE EST

SERENISSIMI PRINCIPIS
GRATIA

SINE PRAESIDE

PRO

SVMMIS IN VTROQUE IVRE HONORIBVS

RITE CAPESSENDIS

DIE XXVI. SEPT. A. R. S. CICLOCCXCIII.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENSVRVS EST

HENRICVS CHRISTOPHORVS KIRSCH
IVR. VTR. CAND.

VITEBERGAE,
LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISIL.